



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Decimus. Contemplatio affirmatiui & negatiui modi in praxi  
contingit promiscuè.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

nis statum (saltem pro vt in medio practiciari solet) transeat, consequenter dicemus,

*Contemplatio affirmatiui & negatiui  
modi in praxi contingit  
promiscue.*

## ARTICVLVS DECIMVS.

**E**O quod subindè in actu transeunte illis, qui amorosè procedunt, ariditates; illis autem, qui ariditate cibantur, amoris beneficentiæ contingant; ideò vtiliter mysticus quædam in contemplatione negatiua exposita perlegere poterit, & experiri, num ipsi adhuc aliquid in præsentiarum practicandum obringat, priusquam ea, quæ in statu priuationis habentur, assumat. Et quum circa finem contemplationis amorosæ species admodum spirituales, & ab omni eo quod amoris sensibilitatem redolet, disiunctæ sint; non sine fructu legentur ea, quæ in modo contemplationis negatiuæ posita sunt. sicut & à contemplatore negante, ea quæ modi sunt affirmatiui. in praxi enim promiscuè operationes de Deo affirmantes vel negantes seruiunt, & subindè contemplator, qui amorosè procedit vtilius (præsertim in ariditate) de Deo omnia negat, quam affirmat: & similiter contemplator, qui spirituali solum dilectione per negationes, & transcendentias exercetur, vtilius (præsertim si spiritualis iucunditas, & serenus intellectus affulgeat) de Deo om-

nia eminentèr affirmat. non enim est aliud affirmatio, vel negatio, quàm modus proportionatus, aut medium perueniendi ad finem, & simplicem Dei contemplationem, ac dilectionem. adepto ergò fine, cessat medium, & iungitur mysticus Deo per ipsam vnionem, ad quam aliquando melius per affirmationem, aliquando verò per negationem in praxi peruenitur: idque tamdiu quousque etiam in priuationis initio sit constitutus. & cum inferius *b* de spirituali profectu, duratione, & transitu à contemplationis vtriusque modi ad priuationis rigorosæ statum, satis dictum sit, nunc Synopsin status contemplationis modi affirmatiui subiicimus,

*Synopsis status contemplationis modi  
affirmatiui.*

## ARTICVLVS VNDECIMVS.

**E**Go dilecto c meo & ad me conuersio eius. ac si diceret: O pia anima, quæ ex gustu diuino loqueris, & dicis paululum cum pertransissem eos, nimirum sæculi affectus, & tantisper in notitia, & amore rerum diuinarum per meditationis, & aspirationis status, cælesti sponso, & Dominatori me consecrassem, suauißima illius præsentia frequenter ab aliquot iam annis impingatam me reperio, ita vt non amplius tarda meditatione, aut aspirationum scintillis me ipsi consignare habeam; sed firmo amorosoque intuitu mentis & spiritus capaciter in cælestes il-

K 3

lius

*a inf. decis. 8. b decis. 8. a. 11 c Cant. 7.*